

I. N. J.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
De

NOTITIIS NO-
BISCUM NATIS,

Quam

Consensu Ampliss. FACULT. PHILOSOPH.
in Incl. & Reg. Acad. Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO,

VIRI AMPLISSIMI

DN. PETRI HAHN,

Scient. Nat. Prof. & Biblioth.
Celeberrimi.

*Publico Candidatorum examini modestè
submitis*

REG: Alumnus

SVENO MALMERUS,
Wexioniâ - Suecus.

Ad diem, DEO favente, 10 April, A. 1707.
horis antemeridianis consuetis.

Exc. Jo. WAL.

Nobilitate, eruditio
Cla

Dn. ERICO

Ligerstedt/

Judici Territoriali Amplissimo,
Consultissimo, Mæcenati sub-
missè colendo.

Dn. GABRIELI

Fulda/

KATSALEH-
KIRCHSTO

Prætori Territoriali Spectatissimo,
Attentissimo, Fautorique quo-
vis officio dignis-
simo.

PROMOTORIBUS, PA

In grati animi tesseram, ob mul-
devoto animo

S.

RIS,
ne & Prudentia
ris,

Dn. ERICO
FLORINO,

Pastori in Lampis meritissimo,
adcuratissimo, Patrono suo ut opti-
mo, ita omni animi veneratione
indefinenter colendo.

Dn. LAURENTIO
FRISIO,

Sacellano Hauhoënsi vigilantiss:
Fideliss: Evergetæ suo propensiss:
quibusvis obsequiis semper
venerando.

TRONIS ET FAUTORIBUS

ta in se collata beneficia,
hanc offert opellam
M.

Miraberis fortè CAND. LECTOR
audaciam meam ! cum
hæcce brevis, rudiq; conscripta
stilo opella, nobilitati materiæ
non respondeat: rogo itaque,
vironem quem exiguæ ingenii
vires angustaque supellex (ut
temporis taceam injuriam)
sublimitatem rei altius inspice-
re, clariusque depingere pro-
hibuere, excuses, simul & si
quædam (quod ipsemet fateor)
palato tuo, minus arridentia
in hanc chartulam sint conje-
cta, dextrè interpreteris, vale
diuque felix vive !



§. I.



Primo homini tam excellentem concreatam fuisse sapientiam, docet nos Sacra Pagina, ut sufficienti DEI creaturarumque omnium polleret cognitione, nulla tenebrarum infectus labe. Hanc, nisi eâ, persuasû diaboli excidisset, in posteros quoque propagasset. Decoxit autem tam ingens DEI donû per tristissimum lapsû, ita ut reliquæ ejus, umbræ potius quam lucis habeant rationem; licet altioribus defixa esset radicibus, quam ut penitus evelleretur. Hinc Theologi Imaginem DEI per peccatum totaliter esse amissam statuerunt, respicientes ejus formale: cum natura rei solis definiri nequeat reliquiis; rûdera autem ipsius in mente & voluntate hominis remanentia, pertinent ad Imaginis divinæ materiale, & solent adpellari Principia nobiscum

A

biscum

biscum nata, cum theoretica, tum practica, & nonnullis vero notitiæ nobiscum natæ, de quibus aliquot pingui licet Minervâ animus, est ducere lineas, quod factururus, *ὄνομαζλογία*, minime hic necessariam omitto, cum eam neminem, qui primis, ut ajunt: latinam linguam degustaverit labiis, latere arbitrer.

§. II.

Quidam magis præposteris falsisque suis opinionibus stimulati, quam rationis dictamine ducti, notitias sibi esse connatas, negare ausi sunt omnem exuentes rationalitatem, nullumque inter hominem & bestiam admittentes discrimen. Horum non postremo collocandi sunt loco Peripatetici cum suo Antesignano Aristotele: existimarunt enim, in intellectu, ante primam intellectiōnem, nullam dari notitiā, unde intellectum cum nuda compararunt tabula, cui nihil inscriptum, omnia tamen inscribi possent. Ab his longè discessit Plato, dicens: animam omnia nosse, solumq̄

lumque indigere extrinsecus quodam ad reminiscendum excitante. Alii vero non quidem realem notitiarum insitarum, ab intellectu humano distinctionem, contra Photinianos & quosdam, Peripateticis nimium adhærentes Philosophos, negantes, notitiam DEI insitam in ipsa facultate *νεύρον* consistere, sunt opinati. Quidam autem Philosophorum, quibus supra recensitorum minus arridebat sententia, notitiarum naturalium propugnatores videri cupientes, sensuum exercitium rationisque usum constanter defenderunt, omnem tamen congenitam negarunt notitiam. Plures hujusmodi sententiis adhærentes, nisi dissuaderet brevitatis, lubens recenserem.

§. III.

Audienda jam est eorum sententia, qui hanc rem dextrè explicarunt. Hæc sunt verba Philippi Melancthonis: *Etiam si DEUS impressit multa vestigia universo mundi opificio, quæ vult esse commonefactiones, quæ ostendant hunc mundum non extitisse*

casu, sed esse mentem sapientem, bonam, iustam, veracem, castam & liberam architecturicem, tamen illa ratiocinatio fieri non posset, nisi prius fulgerent in mentibus nostris multe notitiæ: ut distinctio unitatis & multitudinis, naturæ sapientis & brutorum. Aliquam etiam DEI notitiã inter has fulgere in nobis oportet, ut ad eam accommodari possint signa. Quare etiam Balduinus dixit: Quemadmodum Dominus 10 leges duarum tabularum digito suo scripsit, Mosique tradidit, tanquam regulam vitæ universo populo futuram Deut. 9. v. 10: ita in prima statim creatione, easdem leges cordi hominis, suo modo insculpsit, ut quilibet discrimen honestorum & turpium, naturâ sciat. Et Meisnerus: Sunt homini Principia, non præscripta, sed inscripta, non tradita, sed nobiscum nata, quæ foris homini præbent semina scientiarum & artium; intus sunt officina conscientiæ.

§. IV.

Nos B. Osiandri & aliorum Theologorum sententiam secuti, statuimus, non solum in adultis, notitiã quan-

quandam de DEO ex intuitu creatura-
rum haustam & per actum intellectus
elicitam, dari; sed etiam nativam, divi-
nitus impressam, omnibus & singulis
hominibus communem, ante omnem,
vel Sensationem, vel intellectus opera-
tionem, quæ radix quasi, & principium
est acquisitæ, & successu temporis ex
creaturis deductæ notitiæ. Non raro ta-
men tanta ipsius fulgori obducitur ca-
ligo, ut sæpissime in gravissimos incida-
mus errores, quorum auctor DEUS nul-
lo modo dicendus, quamvis intellectum
nobis non dederit omniscium: sed hoc
sequeretur potius, si homines naturali
lumine, quô ad ulteriorem adniterentur
cognitionem, reliquisset carentes. Quod
vero nos falli sæpe contingat, non tam
ab intellectu, quam a voluntate forte de-
pendet, cum voluntas quodammodo se
etiam ad ea, quæ non intelligimus, exten-
dere quasi videatur. Et quamvis ne-
mo falli velit; vix tamen ullus reperitur,
qui iis, quibus error inest assensum non
velit præbere, deq; iis, quæ non percipit

judicium ferre, à quibus posset abstinere. Licet ergo lumen rationis nobis dictet, non nisi de re cognita, judicium esse ferendum: tantus tamen nos interdū occupat error, ut multa à nobis olim fuisse percepta, quæ nunquam percepimus, putemus. Quod autem errores tales, non æquè, ab omnibus vincuntur, causa est: quod multi præjudicatis suis opinionibus, lumen naturæ, omnibus idem, supprimant; unde multi ad idola abierunt, in scelera ipsi naturæ horrenda ruentes: quare ab Apostolo, dicuntur vani redditi in cogitationibus suis. De his dicit D: Chemnitius: *Etiam si impressum sit hominum mentibus, esse DEUM, & eundem præcipere obedientiam, juxta discrimen honestorum & turpium; tamen assensio non tantum languida est, sed & horrendis dubitationibus excutitur.*

§. V.

Notitias nobiscum natas dari, testatur etiam Paulus in Epistola Rom. 1. v. 18. 19. *ἀποκαλύπτει γὰρ ἔργῃ θεῶ ἀπ' ἑαυ-*

ἔρανε, ἐπὶ πᾶσαν ἀσεβειαν καὶ ἀδικίαν ἀν-
 θρώπων, ἵνα ἴην ἀλήθειαν ἐν ἀδικία καπεχόντων.
 Λόγος τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς:
 ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανερώσε. Hic ostendit
 Apostolus neminem iram DEI posse
 effugere: quia omnibus voluntatem suam
 revelavit, etiam Gentibus, licet non eo
 modo, quo Judæis: tamen naturaliter;
 intelligit enim, hic revelationem gene-
 ralem, pro quacunque rei alicujus ma-
 nifestatione, non specialem, naturali con-
 tradistinctam. Quare ergo iram DEI non
 effugient? quia veritatem h. e. notitias
 naturales de DEI existentia, bonitate &
 justitia, per malos suos mores & per-
 veras opiniones, ita oppresserunt, ut non
 magis apparuerint, quam qui in alto ca-
 pti detinentur carcere. Legem DEI ex
 lumine naturali noverunt; sed eam ἐν
 ἀσεβείᾳ contra primam, & ἐν ἀδικία con-
 tra secundam tabulam transgressi sunt.
 Omnibus itaque τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν,
 non solum discurrentibus, sensuum ad-
 miniculo utentibus; sed etiam sensibus
 & exercitio rationis destitutis, imo in-
 fan-

fantibus intra viscera uteri conclusis: quia indefinitum τῶν ἀνθρώπων æquipollet hic universali. Finem addit Apostolus, ut sint inexcusabiles, nulloq; modo suam ignorantiam coram tribunali DEI excusare possint. Unde D. Dannhæwærus egregiè: *Si notitia eo sine sint data, ne homines excusare suam ignorantiam olim possint coram tribunali Christi, utique insunt: quandoquidem, ubi Christus iram suam revelatam per os Pauli Rom. 1. exsequetur, & ita pronuntiabit: vos estis rei æternæ damnationis, quia fornicati estis, quia furati estis &c. At instabunt Barbari, nescivimus peccata hæc esse: unde enim id innotuisset? An ex lege lata; at nos fuimus extra Judæam, & fuimus ἔθνη μὴ νόμον ἔχοντα. An ex Judæis? at horum notitia ad nos nunquam pervenit, & si maxime venit ad aliquos, non tamen ad omnes. Fortassis ex contemplatione mundi? at que stella nos docere potuit, fornicari & hominem occidere &c. peccata esse. Respondebit omnino Christus Judex: habuistis notitias innatas, habuistis legem in cordibus scriptam, hæc vos præstant ἀναπλογήτας. Dicit præterea*
 Apoſto-

Apostolus Rom. 2. 14. 15. Ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τῆς νόμου ποιῇ, ἔστι νόμον μὴ ἔχοντες ἐαυτοῖς εἰσι νόμος: οἵτινες ἐνδείκνυνται, τὸ ἔργον τῆς νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρέσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μετὰ τὸ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορέσθων ἢ καὶ ἀπολογημένων. Hic opponit Apostolus Gentes Judæis, quasi diceret: Gentes licet legem à Mose tabulis lapideis inscriptam, de qua gloriabantur Judæi, non habent, habent tamen eam cordibus insculptam: quia ex lumine naturæ, discrimen honestorum & turpium cordibus suis implantatum, declarant, facientes quædam à lege, vel præcepta: ut DEUM colere, honorare parentes, suum cuique tribuere, vel prohibita: ut non furari non mœchari: est enim hoc loco τὸ ἔργον materiale legis, sive res in lege comprehensa: unde nec sequitur gentes legem posse implere, cum quædam legis facere, non sit omnia legis facere: Si autem omni carerent lege, nulla illos damnaret lex; ubi enim nulla lex, ibi nulla obligatio.

§. VI.

Unum adducemus adhuc nobis testem infallibilem, scilicet conscientiam, quam etiam Apostolus dixit, testimonium reddere gentibus, defendendo si quid boni, accusando vero, si quid mali fecerint. excusat enim conscientia, cum factam rationis lumini videatur consonum, si vero eidem adversum, accusat; unde benefacta tranquillitatem, malefacta angores adferunt. Hinc ait Juvenalis: *nocte dieque tuum gestas in pectore testem.* Sic pessimi quique conscientiae stimulis tanguntur, memoriaque male factorum torquentur. Est namque conscientia accusator, testis, Judex, tortor, carcer & carnifex, quod ex Judae, Caini, Neronis aliorumque patet exemplis, in quibus conscientia aliquamdiu pravo mentis judicio sopita, tandem evigilavit, ipsosque tantis torfit angoribus, ut miserrima praeventi sint morte. Quod vero infantes tales non sentiant conscientiae stimulos,

los, ratio est quod notitiarū naturalium adhuc careant adplicatione; licet ipsas habeant notitias: nam innata quidem sunt ipsis principia: sed ante rationis usum in actum deduci nequeunt.

§. VII.

Evictio sic dari notitias nobiscum natas, tenemur paucis, quid & quales sint delineare. Notitiæ nobiscum natæ, sunt habitus à prima infantia insiti, & à natura, antequam ratio se exerere queat, cordibus hominum inscripti: dividi autem solent in principia *speculativa*: ut DEUS est: quodlibet est aut non est: totum est majus qualibet sua parte: bis duo sunt quatuor &c. & *practica*: ut DEUS est colendus: honestè vivendum: nemo lædendus, cuique suum tribuendum. Patrocinantur nostræ sententiæ Theologi, qui etiam notitias naturales definiunt per *ἔξις* sive habitum, non per *δύναμις*, referentes illas non ad secundam, sed ad primam qualitatis speciem,

ita ut menti nostræ â prima statim infantia sine labore, & sine præceptore habitualiter insint. Lubet audire verba D. Dannhaveri: *Si notitiæ naturales inscripte sint cordibus: non sunt potentie animæ κελικαί; quia vox cordis, stilo scripturæ, sumitur pro potentiis animæ: unde argumentum: id cui inscribitur, non est quod inscribitur; sed potentia κελικαί sunt tales ergo &c. quia notitiæ illæ sunt potius habitus ipsis potentiis superstructi. Novimus præterea imaginem DEI, constituisse non in δυνάμει: sed ἐξεί; ergo idem iudicium de notitiis naturalibus, utpote ejus reliquiis ferendum, cum partes homogeneæ sint ejusdem essentiaæ cum toto. Breviter etiam notandum; si quis diceret: has notitias esse notitias insitas, esse notitias innatas, esse notitias congenitas, esse notitias â natura inscriptas, esse notitias nobiscum natas, esse notitias naturales, nihil quicquam contra regulas Logicorum ipsum peccare, cum essent definitiones κατὰ λέξιν, quibus plenius*

ninus

nus explicatur vocis significatio. Ut autem facilius percipiatur quid hic per vocem *naturale* intelligimus, quadruplicem ejus modum ab Eustratio 2 Eth. cap. 1. recensitum, ostendemus. 1. Naturalia sive à natura esse dicuntur, quæ connascuntur, & ab ipso ortu cum naturâ hominis existunt: quomodo homini post lapsum inest mortalitas. 2. Quæ quidem non sunt congenita, sua sponte tamen successu temporis, in capacibus & a naturâ destinatis subjectis, natura nempe tum demum vires suas exerente, proveniunt: sic canities à naturâ homini inest. 3. Quæ neq; congenita, neq; sua sponte progressu temporis, in subjectis habilibus proveniunt: sed quorum potentia tantum inest; actus vero & res ipsas non nisi studio consequimur & labore: ut virtutes Ethicæ. 4. Et ultimò, à naturâ esse dicuntur, ad quæ naturâ magis sumus proclives: hoc modo dicuntur nasci Poëtæ. Nos dum notitias dicimus naturales, intelligimus *naturale* primo loco allatum.

§. VIII.

Videbimus ultimo, quid utilitatis, naturales adferunt notitiæ. Non tantum illis tribuimus, ac si ad salutem consequendam æternam facerent: sed dicimus rudera illa sapientiæ Adamo concreatæ, in mentibus hominum remansisse, ad externam conservandam disciplinam, quin & ad ulteriorem DEI inquirendam cognitionem: unde gentes quibus notum est, esse unum DEUM, tenentur ulterius inquirere, quomodo eundem colant, quod si negligent, erunt inexcusabiles. De hac re optime D. Chermnitius: *cum omnes naturaliter agnoscant esse DEUM, illumque esse glorificandum, ut DEUM, & simul cogantur fateri se ignorare quomodo sit colendus: inseruit DEUS ipsis hanc notitiam, scilicet: ut quarant annuntiationem revelationis doctrina in Ecclesia.* Erunt etiam omnes actiones nostræ, ad has notitias tanquam regulam DEO maxime congruam dirigendæ, cum omnes

m̄nes leges humanæ huic regulæ suam
 debeant originem. Unde Philippus: *Prin-*
cipia sunt notitia nobiscum nascentes, que sunt
semina singularia artium, divinitus insita no-
bis, ut inde artes extruantur, quarum usus
in vitâ necessarius est. Et Balduinus: *Quem-*
admodum homini, ad cognitionem artium,
νοῦναι ἐννοιαί, quas docant divinitus insite sunt,
per quas tanquam per divinum lumen, prima
artium, que scientiâ comprehendi possunt prin-
cipia intelliguntur: ita DEUS homini dedit ju-
dicium rationis, per quod, tanquam divinum
lumen actiones honeste discernuntur a turpis-
bus, id quod alias, lumen conscientie vocatur.
 Apparet etiam hinc quantum homo ce-
 tera antecellit animalia, cum illa rationis
 expertia, vi quasi & impetu ad sordida
 quævis ferantur, hic autem rationis par-
 ticeps, ad honestatem suas dirigere sciat
 actiones, & admirabili omnium re-
 rum cognitionis inflamme-
 tur amore.

SIT SUMMÆ SAPIENTIÆ GLORIA



